

XII

IN ANVM LIBIDONOSAM

Heroico-Alcmanius

Quid tibi vīs, mulier nigrīs dīgnissima barrīs ?
Mūnera quid mihi, quidve tabellās
Mittis, nec firmō iuvenī, nec nāris obēsae ?
Namque sagācius ūnus odōror,
Pōlypus, an gravis hirsūtīs cubet hircus in ālīs,
Quam canis ācer, ubī lateat sūs.
Quī sūdor viētīs, et quam malus undique membrīs
Crēscit odor, cum pēne solūtō
Indomitam properat rabiem sēdāre ; neque illī
Iam manet ūmida crēta, colorque
Stercore fūcātus crocodīlī ; iamque subandō
Tenta cubīlia, tēctaque rumpit !
Vel mea cum saevīs agitat fastīdia verbīs :
‘Īnachiā languēs minus, ac mē :
Īnachiam ter nocte potes ; mihi semper ad ūnum
Mollīs opus : pereat male, quae tē
Lesbia, quaerentī taurum, mōnstrāvīt inertem,
Cum mihi Cōus adesset Amyntas,
Cūius in indomitō cōnstantior inguine nervus,
Quam nova collibus arbor inhaeret.
Mūricibus Tyrīīs iterātae vellera lānae
Cūī properābantur ? Tibi ? Nempe,
Nē foret aequalēs inter convīva, magis quem
Dīligeret mulier sua quam tē.
Ō ego nōn fēlīx, quam tū fugis, ut pavet ācrēs
Aagna lupōs, capreaeque leōnēs.’